

qualificata; cum non fiat pure, sed solum cum addita qualitate suae necessariae defensionis; ergo.

127. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod tali qualitate non probata, consurgat quaedam praesumptio juris in contrarium. Si quidem ex praesumptione, etiam vehementi, non debet quis de gravi crimine, ac poena capitali damnari, c. *Litteras*. 12. de *Præsumptione*. et l. *Absentem*. ff. de *Poenis*; atque cum pluribus aliis tradit Farinacius lib. III *Criminalium*. quæst. 86, n. 1 et 3, et 15 ac seqq.; haud obstante, quod exinde possit quis condemnari civiliter ad restitutionem rei, vel recompensationem damnorum illatorum, arg. c. *Afferte*. de *Præsumptione*., vel ad sustinendam aliam poenam mitiorem, puta pecuniariam mulctam, vel hujusmodi. Nam in «pœnalis causis benignius interpretandum est,» ut dicitur l. *Factum cuique*. ff. de *Reg. jur.* cum similibus. Simulque satius est, nocentem dimitti, quam innocentem damnari, cit. l. *Absentem*. ff. de *Poenis*: idque fusius declarat Farinacius cit. quæst. 86, n. 18 et seqq. allegans plurimos alios.

128. *Confessio qualificata, quod scriptura privata grave delictum exprimens, sua manu fuerit conscripta jocosè solum, an præjudicet confidenti?* Refertur notabilis casus circa hoc. — Quæritur IV. Utrum confessio qualificata, quod scriptura privata, seu apocha grave delictum exprimens, manu sua fuerit conscripta, sed jocosè solum, seu calami experiendi gratia, præjudicet confidenti? Notabilem casum circa hanc quæstionem refert Prosper Farinacius lib. I. *Consiliorum criminalium*, consil. 25, n. 1 et seqq., et n. 54 et 55, de quodam clerico, qui apocham, ex qua constabat de crimine digno privatione beneficiorum, sua manu scriptam fuisse, judicialiter recognovit; sed addidit, se illam scripsisse causa experiendi calamum; atque in hac sua confessione persistens, torturam sustinuit: unde oriebatur quæstio, num clericus ille vi talis confessionis potuerit judicialiter privari beneficiis ecclesiasticis. Eundem casum refert etiam Nicolaus Genova de *Scriptura privata*, lib. I, quæst. 3, n. 108.

129. *Stante tali confessione, scriptura privata probat plene contra confidentem, dummodo non agatur de imponenda poena corporali.* — Resp. Stante ejusmodi confessione, seu recognitione suae manus judicialiter facta, scriptura privata probat plene contra confidentem; dummodo non agatur de imponenda poena

corporali, sed solum de poena civili, puta privationis beneficii, quæ reputatur civilis. Ita Farinacius cit. consil. 25, n. 1, et n. 44 et seqq.; Genova cit. n. 108, asserens, in casu memorato tandem re mature discussa ita fuisse judicatum; Abbas in c. *Scripta vero*. n. 4. de *Fide instrument.*; Covarruvias lib. II *Variar. resolut.* cap. II, n. 4; Emmanuel Rodericus tom. II. *Quæst. regular.* q. 13, art. 3, post Rebuffum in *Rat. de Chirograph.* et *Schedul. recog.* n. 44, et alios. Idque clare desumitur ex l. *Scripturas quæ*. c. *Qui potiores in pignore, etc.*, ubi Bartolus, et doctores et Paulus de Castro in l. *Cum antiquitas*. c. de *Testament.*

130. *Solvitur instantia de allegato joco.* — Nec obstat, quod confessus suam esse scripturam, addiderit, eam solum jocosè, seu animo experiendi calamum fuisse conscriptam. Nam ubi talis confessio emanavit qualificate, seu sub una constructione verborum, tunc quia sumus in criminalibus, potest ipsa dividi; ac proinde priore parte judicialiter acceptata restat, ut altera pars sive quod scriptura per jocum v. g. dumtaxat facta sit, probetur per allegantem. Neque enim iudex potest stare simplici assertioni ipsius rei: nam in delictis, seu loquendo de his, quæ sunt de genere prohibitorum, semper praesumitur dolus, et delictum, nisi contrarium probetur, ut dictum n. 125. Deinde excusatio illa, quod quis schedulam adeo turpem solummodo per jocum, seu animo experiendi calamum scripserit, inverisimilis est; atque ideo rejicienda talis responsio, arg. *Milites*. c. de *Question.*, et notat Farinacius cit. consil. 26, num. 55, post Baldum in l. I. c. de *Servis fugitiv.*, et Cephalus consil. 85, n. 39, vol. I. Nam, si voluit dumtaxat experiiri calamum, cur scripsit verba adeo nefanda, atque completum sensum constituentia, et non potius scripsit verba statum suum decentia vel saltem indifferentia?

131. *Privatio beneficii ecclesiastici, reputatur poena civilis.* — Additur notanter, «dummodo non agatur de imponenda poena corporali,» ob rationem n. 126 allatam. Quod autem privatio beneficii ecclesiastici reputetur esse poena civilis, notat Abbas in c. *Illa præpositorum*. n. 5. et c. *Cum P. Manconella*, n. 7. et c. *Super his*. n. 4. de *Accusation.*; Farinacius, cit. consil. 25, n. 9, allegans alios, et Maranta part. IV *Speculi aurei*. dist. 1. n. 32 et 33, ubi tamen istud limitat in casu quo statutum pro crimine non imponeret aliam poenam, nisi privationis.

§ VI.

DE CONFESIONE SACRAMENTALI INIQUE REVELATA, NEQ. NON DE CONFESIONE PER TORTURAM, VEL SUB SPE IMMUNITATIS EXTORTA.

132. *Confessio sacramentalis inique revelata, nihil probat contra poenitentem in foro externo.* — Quæritur I. Utrum confessio sacramentalis inique revelata, vel reperta schedula confessionis, præjudicet poenitenti in foro externo? Resp. I. Confessio in sacramento poenitentiae facta coram sacerdote, nihil omnino probat contra poenitentem in foro externo. Ita communis sum theologorum, tum canonistarum. Idque clare desumitur ex c. *Dilectus*. 13. de *Excessib. prælator.* et c. *Si sacerdos*. 2. de *Offic. ordinar.*; ubi hujus ratio redditur, quia videlicet confessio sacramentalis censetur facta sacerdoti, non ut homini, sed ut Deo, seu vicario Dei; ac proinde ad decidendas controversias humanas est prorsus impertinens. Accedit, quod, si quovis modo absque expressa licentia poenitentis posset revelari confessio sacramentalis, vel ipsa inique revelata adhiberi in foro externo pro probatione contra poenitentem, sacramentum poenitentiae redderetur valde odiosum, imo et periculosum fidelibus: hoc autem repugnat divinæ institutioni, ac debita reverentiæ tanti sacramenti, utpote a cujus frequentatione hac ratione fideles retraherentur, non sine magna ejusdem injuria.

133. *Sacerdos sigillo confessionis cum primis tenetur. Ipsi confessionem revelanti, nullo modo creditur.* — Inferitur proinde, quod si confessorius, qui sacro sigillo comprimis tenetur, can. *Sacerdos*. de *Pœnitent. et remiss.* dist. 6. et c. *Omnis utriusque sexus*, de *Pœnitent. et remiss.*, factam sibi confessionem sacramentalem absque expressa licentia poenitentis malitiose revelat, ob hanc ipsius revelationem magistratus contra poenitentem inquirere non possit, etiamsi ob non institutam inquisitionem salus reipublicæ periclitaretur. Castro Palao de *Sacramento poenitentiae*, tract. 23, punct. 19, n. 12, post Sotum in 4. dist. 48, q. 4, art. 6; et alios. Quinimo sacerdoti revelanti confessionem non creditur: adeo, ut ejus revelatio nec faciat indicium ad torturam, nec ullam fidem habeat, imo nullum omnino effectum operetur in judicio, vel extra. Farinacius, lib. I *Criminalium*, quæst. 47, n. 96; Menochius lib. I de *Præsumptionib.*, quæst. 89, n. 26, post Baldum in l. *Ar-*

chigerontes. C. de *Episc. audient.*; Covarruvias de *Matrimonio*, part. II, cap. VIII, § 42, n. 23, allegans alios.

134. *Depositio testium de confessione sacramentali forsitan audita, contra poenitentem nihil probat.* — Inferitur ulterius, quod si testes, qui audierunt confessionem poenitentis, clarius forsitan coram sacerdote factam, deponerent de ea in judicio, testimonium eorum nequiquam probaret, neque ejusmodi confessio sacramentalis quidpiam præjudicaret confidenti. Mascardus de *Probationib.* concl. 377, n. 2; Farinacius cit. quæst. 47, n. 97, et alii. Ratio est, quæ supra; nam et horum testimonium, si quid probaret, tenderet in injuriam sacramenti poenitentiae, et contra Christi institutionem, retrahendo nimirum fideles a frequentatione illius. Et hinc ulterius.

135. *Inventor schedulae confessionis peccat scienter ipsam legendo; nec potest iudex de peccatis in ea descriptis inquirere.* — Resp. II. Inventor schedulae, in qua alicujus peccata pro facienda confessione sacramentali annotata fuerunt, non solum peccat scienter ipsam legendo; sed insuper, si eam inique legens denuntiet magistratui, non potest contra taliter denuntiatum magistratus inquirere, vel eum punire, neque comprehendere. Ita Castro Palao cit. tract. 23. de *Sacramento poenitentiae*, disp. un. punct. 19, § 4, n. 11; Bonacina de *Sacramento poenitentiae*, disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 3, n. 7. et 8, ubi hoc ipsum extendit ad iudicem, qui repertam schedulam confessionis legit: quia (inquit) non potest de peccatis in ea descriptis inquirere, sed tenetur ista perpetuo silentio tegere: idemque docent alii. Ratio partis est: quia inventor schedulae confessionis gravem infert injuriam poenitenti invito, dum scienter legit peccata secretissima ipsius, nec nisi in ordine ad faciendam confessionem sacramentalem annotata: unde non miram, quod graviter peccet, et saltem ad secretum naturale (si non etiam ad sigillum confessionis, ut nonnulli volunt, minus tamen probabiliter) tenetur de iis perpetuo reticendis.

136. *Pœnitentiæ sacramentum est secunda post naufragium tabula.* — Altera pars ex eo suadet, quia reverentia sacramento poenitentiae debita videtur exigere, quod instrumenta confessionis non deducantur ad forum externum: alioquin suboriretur periculum aversionis, et retractionis fidelium ab eodem tam salutari sacramento, contra Christi institutionem; qui istud instituit tanquam secun-

dam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam, can. *Secunda post naufragium de Pœnit.* dist. 1, et docet concilium Tridentinum sess. 6, cap. xiv. et sess. 14, cap. ii.

137. *Ut confessio per torturam extorta probet, quæ requirantur? Requiritur imprimis, quod constet de corpore delicti.* — Quæritur II. Quæ requirantur ut confessio per torturam, seu metum tormentorum extorta probet, ac præjudicet confitenti? Resp. I. Ad hoc requiritur cum primis, ut constet de corpore delicti. Alioquin enim torturæ locus non est, text. clar. l. I, § *Item illud. ff. Ad S. C. Syllanian.* Quinimo etiamsi quis confiteretur debitum aliquod se commisisse, puta homicidium, non posset condemnari, nisi de corpore delicti illic aliter, quam ex ejus confessione constaret: quia posset confessio criminis quandoque potius ex tædio vitæ, seu desperatione facta fuisse, quam conscientia criminis, l. I, § *Divus.* et § *Si quis ultro. ff. de Questionib.*; Julius Clarus lib. V *Criminalium.* § fin. quæst. 1, n. 10; Farinacius lib. I *Criminal.* quæst. 2, n. 7, generaliter docens cum aliis, quod confessio non noceat confitenti, quando non constat de corpore delicti. Atque ideo si reus in tormentis fateatur, se alibi homicidium v. g. vel furtum commisisse, debet in eo loco inquiri, an aliquando tale homicidium, aut furtum ibidem factum fuerit. Engel h. t. n. 17.

138. *Deinde, ut contra tortum præcesserint legitima indicia. Confessio per torturam extorta non præcedentibus legitimis indicis, nihil probat.* — Resp. II. Insuper ad hoc, ut confessio per torturam emanata probet, requiritur, ut contra tortum præcesserint legitima, seu ad torturam sufficientia indicia: nam regula est, quod confessio extorta a iudice per torturam nullis præcedentibus indicis, vel saltem non legitimis, seu ad torturam non sufficientibus, nihil probet, neque confitenti præjudicet. Desumitur hoc imprimis ex c. *Cum in contemplatione.* 6. de *Reg. jur.* ubi dicitur: « In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum. » Hoc autem fieret, si confessio per torturam facta nullis præcedentibus legitimis indicis aliquid probaret. Concordat textus satis apertus in l. 1, § *Divus Severus. ff. de Questionib.*, ubi loquendo de quæstionibus, hoc est, de inquisitione veritatis per tormenta, dicitur: « Confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat. » Et ita tenet Glossa in l. *Questionis*, et Bartolus ibid. n. 1, de

Questionib.; Felinus c. *At si clerici*, n. 1, vers. *Septimo limita. de Judic.* addens, quod talis confessio non noceat, etiamsi millies ratificetur. Mascardus de *Probation.* concl. 353, n. 1 et seqq.; Farinacius lib. III *Criminalium*, quæst. 83, n. 1 et seqq., citans plurimos hancque materiam fusius declarans.

139. *Indicia legitima, seu ad torturam sufficientia, sunt plura: ut depositio unius testis; et qualis?* — Porro quænam indicia sint legitima seu sufficientia ad torturam, non est hujus loci examinare. Videri desuper inter alios poterit Menochius de *Præsumptionibus.* lib. I, quæst. 89, ubi ad longum quadraginta quatuor indicia sufficientia ad torturam refert atque declarat. Eorum primum oritur ex attestazione unius testis, omni exceptione majoris, qui deponit de visu ipsius actus, seu commissi delicti, juxta Glossam in l. *Si quis alicui. ff. Convictus. C. ad Leg. Jul. majestat.* et alios passim. Nam ejusmodi testis de visu non solum facit indicium, sed etiam semiplenam probationem. Mascardus de *Probationibus*, vol. I, quæst. 11, n. 2 et 3. Secus dicendum, si testis ille non sit omni exceptione major: quia tunc non faceret sufficiens indicium ad torturam, nisi concurrerent alia adminicula; prout supra n. 113 de nominatione socii criminis jam dictum.

140. *Confessio extrajudicialis.* — Alterum indicium ad torturam sufficiens, censetur esse confessio extrajudicialis: hæc enim, licet non sufficiat ad condemnandum, regulariter tamen sufficit ad torquendum. Glossa fin. in l. *Capite quinto*, et ibi Bartolus ff. *de Leg. Jul. de Adulteriis*; Maranta part. VI *Speculi aurei.* tit. de *Confessione*, n. 3; Menochius loc. cit. n. 14; Farinacius, ubi supra, quæst. 82, n. 23, citans plurimos alios una cum communi, ac fuse hanc regulam declarans. Concordat dicta superius § 2, n. 40, 41 et 43.

141. *Fama, fuga rei, prævia inimicitia capitalis.* — Inter alia indicia connumeratur fama, non quidem se sola, sed una cum aliis adminiculis. Item fuga rei, ac prævia inimicitia capitalis, vel minæ præcedentes, mendacium et variatio accusati, titubatio et trepidatio animi ipsius, et hujusmodi: quæ licet non semper se solis sufficiant, nihilominus conjuncta aliis adminiculis sufficiens indicium ad torturam constituunt; prout amplius declarat Menochius cit. quæst. 89 per totum, et Julius Clarus cit. § fin. quæst. 21, per totum.

142. *Plura indicia de se insufficientia, con-*

junguntur ad effectum torquendi: non item ad condemnandum poena corporali; et cur? — Ad dit Alexander consil. 65, n. 10, lib. I, Menochius ubi supra, quæst. 40, n. 9, et Farinacius loc. cit. quæst. 86, n. 72 et 74, allegans plurimos alios, et communiorem doctorum, paucis exceptis, quod plura indicia, quamvis imperfecta, et de se insufficientia, conjungantur ad effectum torquendi; sicque hic locum habeat vulgata regula: « Et quæ non prosunt singula, multa juvant. » Quamvis secus sit dicendum, quando agitur de crimine criminaliter ad condemnandum poena corporali: hic enim, sive ad condemnandum corporaliter, requiruntur probationes luce meridiana clariores, l. ult. *G. de Probat.*

143. *Judicis arbitrio est relinquendum, quænam indicia sint ad torturam sufficientia. Hæc tamen non est infligenda ante assignatas reo defensiones cum copia indiciorum.* — Unde notandum, quod, quænam indicia sint ad torturam sufficientia, non possit dari una certa doctrina; sed hoc totum sit relinquendum arbitrio boni viri, scilicet iudicis, quæsecundum qualitatem personæ, ac delicti ipsarumque demonstrationum, seu suspicionum judicabit, indicium esse ad torturam sufficiens, necne. Bartolus in l. ult. n. 5, ff. *de Quæst.*; Alexander cit. consil. 65, n. 10, lib. I; Menochius, quæst. 89, n. 1, et lib. II, *de Arbitrar. judic.* cas. 270, n. 3; Jul. Clarus d. § fin. qu. 20, n. 1, et quæst. 64, n. 13, allegans communem doctorum. Verumtamen, quod tortura non sit infligenda, priusquam reo assignatæ fuerint defensiones cum copia indiciorum, ac etiam post decretum torturæ expectatus sit terminus ad appellandum, ne subita accusatione criminum, vel metu torturæ opprimatur: desumitur ex l. *Unius facinoris. § Cogniturum.* et Bartolo ibid. ff. *de Quæst.*; Antonellus de *Regim. Eccles.* lib. VI. c. 44, n. 8, apud quem alii.

144. *Utrum ad torturam sufficiant indicia, quæ sunt minus quam semiplena probatio?* — Utrum autem ad torturam sufficiant indicia, quæ sunt plus quam simplex præsumptio, etsi sint minus quam semiplena probatio; vel potius an pro tortura infligenda requiratur, ut ex indicis ejusmodi resultat semiplena probatio, rursus variant doctores: prout videre est apud Farinacium lib. I *Criminalium*, quæst. 36, n. 118 et seqq., ubi plurimos pro et contra allegat. Et quidem priorem sententiam tenet Glossa in l. *Cum probatio. ff. Definit.* ff. *de Probation.* quam (ut notat Glossa

marginalis ibid.) pro singulari notandum censet Alexander in l. II, § *Si absens. ff. Si ex noxali causa agat.* ad hoc, quod solum indicium, etiam non sufficiens ad semiplenam probationem, dicatur sufficere, ut quis subeat torturam. Idem tenet Jul. Clarus cit. quæst. 20, n. 1 et 4, allegans Corneum consil. 101, lit. L. lib. I, testantem de communi doctorum. Verum Farinacius cit. quæst. 36, n. 219 et seqq. ex professo docet, et fusius probat, quod indicium ad torturam non sit, nec esse debeat minus, quam semiplena probatio: quanquam ipsemet n. 231 subjungat quod iudicis arbitrio sit relinquendum, an hic et nunc ex præhabitis indicis semiplena probatio oriatur, necne.

145. *Ad torturam regulariter non est deveniendum, nisi in subsidium, seu quando delictum aliter probari non potest.* — Insuper notandum quod ad torturam regulariter non sit deveniendum, nisi in subsidium, seu quando delictum aliter probari non potest. Nam tormentis locus non est, ubi crimen aliis probationibus apparet, l. *Divus Pius.* et l. *Edictum. ff. de Questionib.*; ac tradit Abbas c. *Cum in contemplatione.* n. 10, de *Reg. jur.*, et Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. xxiii, d. 5, asserens, ita adnotasse passim utriusque juris interpretes; et Julius Clarus, ubi supra, quæst. 64, n. 5, allegans Angelum in l. fin. post n. 4, *C. de Quæstion.*, et Boerium decis. 103, n. 1, et *Practicam* Conradi, fol. 280, quæ ait, ita concludere omnes doctores.

146. *Fallit hoc in nonnullis casibus.* — Ad dit tamen Clarus cit. quæst. 64, n. 7, quod plerumque iudices, haud obstante, quod delictum sit plene probatum, etiam per testes de visu, adhuc soleant adhibere torturam: non quidem, ut constet de delicto, sed solum ut reus illud fateatur, sicque (juxta sententiam quorundam supra § 3, n. 68 allatam) amplius appellare non possit. Idque ipsum fatetur Covarruvias cit. cap. xxiii, n. 5, citans Baldum in l. I, n. 9, *C. de Jurament. calum.*, et alios, quamvis hanc praxin reprobet, exceptis casibus extraordinariis, aliud pro bono reipublicæ exigentibus. Torquentur etiam quandoque rei convicti, et confessi, ut ostendant socios, mandatores, et complices criminum. Julius Clarus cit. quæst. 64, n. 8; Covarruvias cit. n. 5, et alii.

147. *Ut confessio facta in tortura probet, requiritur ulterius, quod tortus persistat in confessione.* — Resp. III. Ulterius, ut confessio facta in tortura probet, atque sufficiat ad

condemmandum, requiritur, quod reus tortus postea persistat in confessione, eamque ratificet extra tormenta ad banchum juris. Ita Glossa in l. II, §. *Aliquid*. C. *Quorum appellat. non recip.*; Abbas cit. c. *Cum in contemptatione*. n. 7, de *Reg. jur.*; Mascardus de *Probatione*. concl. 353, n. 9, et seqq. Farinacius lib. III, quæst. 83, cap. III, n. 67. allegans plurimos alios. Julius Clarus cit. quæst. 64, n. 40, cum communi. Ratio hujus desumitur et l. I, §. *Questioni*. ff. de *Questionib.* ubi dicitur, quod « Tortura res est fragilis et periculosa, et quæ veritatem fallat: nam plerique patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemunt, ut exprimi ab eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut in quovis potius mentiri, quam pati tormenta velint, » etc. Nec igitur ob intolerabilem cruciatum effugiendum quis falso crimen confiteatur, quod non fecit (prout nonnunquam contingisse, experientia docuit) merito inductum fuit, ut confessio in tortura facta plene non probet, nisi tortus in ea persistat, ipsamque ratificet.

148. *Qualiter reus tortus censeatur persistere in confessione.* — Censetur autem reus tortus in confessione persistere: non si statim hanc post torturam ratificet (præsumeretur enim adhuc durare metus tormentorum), sed si post spatium unius diei et noctis ad banchum juris, ut vocant, ductus, et extra tormentorum conspectum positus, confessionem suam repetat, arg. l. II, C. de *Custodia reor.*; Farinacius cit. quæst. 83, n. 73 et seqq.; Clarus de quæst. 64, n. 4, Engel h. t. n. 17 et alii. Et quidem plures doctores per spatium unius diei et noctis, intelligunt spatium viginti quatuor horarum: alii vero sufficere aiunt, si saltem nox fuerit intermedia, etsi horæ viginti quatuor nequid plene fuerint completæ. Quinimo nonnulli apud Farinacium loc. cit. n. 75, censent, expectandum esse per tres dies, et tres noctes; nam per solum diem et noctem, adhuc reus dicitur esse in dolore, et cruciatus atque ita servari in tribunali inquisitorum hæreticæ pravitatis, testatur Simeonius *Cathol. institut.* tit. LXV, n. 71. Verum Bartolus in l. I, §. *Divus Severus*. n. 4, ff. de *Question.* et communior doctorum censet, istud relinquendum esse arbitrio iudicis, qui secundum qualitatem torture illatæ, ipsiusque personæ tortæ, iudicabit, quanto temporis spatio præsumatur cessare dolor, ac metus tormentorum. Clarus et Farinacius, ubi supra, n. 76, cum aliis.

149. *Confessio criminis emanata sub spe impunitatis a iudice promissæ, an probet?* — Quæritur III. Utrum confessio criminis, emanata sub spe impunitatis a iudice promissæ probet, et sufficiat ad condemnandum? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, est, quia licitum est iudici, causa veritatis explorandæ aliquid simulare, et fingere, exemplo Salomonis regis, III *Reg.* III, ac refertur c. *Afferte*. 2, de *Præsumption.* ubi is duabus mulieribus coram se litigantibus, quarum quælibet asserebat filium suum vivere, jussit dividi infantem vivum: non quod hoc facere intenderit (repugnat enim juri naturali, occidere innocentem), sed id jussit tentative solum, videlicet ad explorandum maternum affectum alterutrius earum; ut notat Abbas in cit. c. *Afferte*. n. 1. Quæ eadem ratione Christus Dominus post suam gloriosam resurrectionem, coram duobus discipulis euntibus in Emmaus, finxit se longius iturum, ad probandum videlicet eorum affectum, an videlicet illi, qui « eum, etsi necdum ut Deum diligere, saltem ut peregrinum amarent; » prout explicat divus Gregorius papa homil. 23 in *Evangelia*. Atque idcirco, quod possit iudex promittere reo impunitatem pro repenti veritate, et hac per confessionem ejus patefacta nihilominus reum condemnare, tenent non pauci doctores, quos pro hac sententia citat Covarruvias lib. II *Var. resolut.*, cap. II, n. 16; Menochius lib. II de *Arbitrar. judic.* casu 367, n. 7, et Farinacius lib. III, quæst. 81, n. 278 et 279, inter quos sunt Geminianus in can. *Nos in quemquam*. 2, q. 1, Felinus c. *Afferte*. n. 4, de *Præsumpt.*; Archidiaconus in can. *Utilem*. 22, q. 2; Cynus in l. *Præsenti*. C. de *vis, qui ad Eccles. confug.* et plures alii: adeo, ut hanc sententiam magis esse communem censeat Jul. Clarus lib. V, §. fin. quæst. 55, n. 9, licet contrariam opinionem arbitretur æquiorum. Verum præmissis non obstantibus,

150. *Confessio ejusmodi non sufficit ad condemnandum pœna ordinaria.* — Resp. I. Confessio emanata sub spe promissæ per iudicem impunitatis, veluti ejusdem iudicis dolo extorta, ad condemnandum pœna ordinaria non sufficit; nisi forsitan reus absque ulteriori spe factæ promissionis, in illa confessione perseveraverit, seu ipsam ratificaverit. Ita Covarruvias cit. cap. II, n. 46, pro hac sententia allegans Joan. Imolam, consil. 109, Decium in l. *Ea est natura*. ff. de *Reg. jur.*, et alios; Farinacius cit. quæst. 81, n. 276, et seqq. et

plures alii, hanc sententiam non solum æquiorum, sed etiam magis communem reputantes. Atque hæc fundatur imprimis in naturali lumine, quo dictante cuilibet, etiam hosti, fides promissa servanda est, can. *Noli*. 23, q. 1. Accedit, quod per ejusmodi fictam impunitatis promissionem illaquearetur reus fraude, et mendacio: hoc autem a quolibet bono viro, ac præsertim a iudice, summopere vitandum est; ac proinde iudex vel ab hujusmodi fictis promissionibus abstinere debet, prout passim consulunt doctores, vel datam reo fidem servare tenetur. Hoc ipsum confirmatur ex c. *Sane*. 7, de *Renuntiat.*, ubi in simili is, qui pravo partis adversæ consilio inductus, reditis propriis instrumentis ejus misericordiæ se subiecit; postmodum, unde misericordiam debuit impetrare, inde cogebatur dispendium sustinere, » auctoritate apostolica in pristinum statum restituitur. Illud quippe etiam accideret in proposito, dum reus falsis iudicis promissionibus inductus ad confitendum, ejus misericordiæ se subiecit; ergo.

151. *Solvitur ratio dubitandi. Licitum est, in bello justo ponere hostibus insidias, non vero datam eis fidem violare.* — Nec obstant rationes in oppositum. Nam aliud est aliquid simulare, seu fingere se facturum explorandæ veritatis causa, exemplo Salomonis, et Christi Domini: aliud, ficto et doloso animo impunitatem promittere. Illud quidem est licitum, istud vero intrinsece malum, et prohibitum, utpote continens mendacium perniciosum, dolumque malum. Sicut a pari, in bello justo licitum est uti stratagematibus, ac ponere hostibus insidias, can. *Dominus noster*. 23, q. 2; non autem est licitum, promissam hostibus fidem violare, et frangere, cit. can. *Noli*. 23, q. 1.

152. *Sufficit tamen dicta confessio ad condemnandum reum pœna extraordinaria.* — Additur notanter in conclusione, « ad condemnandum pœna ordinaria. » Quia licet confessio spe promissæ impunitatis extorta non sufficiat ad condemnandum pœna ordinaria, juxta proxime dicta: nihilominus sufficit ipsa ad condemnandum in pœnam quamdam extraordinariam, dummodo postea per reum non fuerit revocata. Farinacius cit. quæst. 81, num. 302; Covarruvias loc. cit. num. 16, vers. *In eo tamen casu*; Menochius lib. II de *Arbitrar. judic.* casu 367, num. 4, citans alios, et hac ratione concordans abbas extremas sententias. Nam hoc ipso, quod iudex non condemnet reum per pœnam or-

dinariam, stat suæ promissioni de servanda indemnitate ab hac pœna ordinaria: unde, ne crimina maneant penitus impunita in perniciem reipublicæ, locus erit pœnæ mitioris seu extraordinariæ.

153. *Quid si reus in illa confessione perseveraverit?* — Additur ulterius in dicta conclusione, « Nisi forsitan reus absque ulteriori spe factæ promissionis in illa confessione perseveraverit, eamque ratificaverit. » Tunc enim virtute hujus ratificationis, seu iteratæ confessionis, poterit condemnari in pœnam ordinariam: quanquam ad hoc requiri ratificationem expressam, et quidem cum expressa denuntiatione, quod impunitatis jam promissæ nulla habenda sit ratio, censeat Farinacius cit. quæst. 81, num. 287, 288 et 289, allegans Bossium tit. de *Confes. per tortur.* num. 14, et plures alios; et videtur etiam tenere Covarruvias cit. num. 16, illis verbis: « Nisi spe promissionis frustratus in ea (confessione) perseveret. »

§ VII.

DE OBLIGATIONE CONFITENDI VERITATEM EX PARTE REI A JUDICE INTERROGATI.

154. *Judici non legitime interroganti reus fateri veritatem non tenetur.* — Quæritur I. An iudici non servato juris ordine interroganti, reus teneatur fateri veritatem? Resp. I. Iudici non legitime interroganti, aut non servato juris ordine procedenti, non tenetur reus veritatem fateri, neque juramentum præstare. Ita Lessius lib. II de *Justit. et jur.*, cap. xxxi. n. 8; Lugo de *Justit.* disp. 40, sect. 1, n. 1; Layman lib. III, sect. 3, tract. VI, cap. v. n. 4; Sannig h. t. cap. II, n. 5; Bonacina in *Decalogum* disp. 10, quæst. 3, punct. 2, num. 2, et communis aliorum, post divum Thomam. 2, 2, q. 69, art. 2, ubi sit, quod aliud est, veritatem tacere, aliud falsitatem proponere. Primum horum aliquando licet: non enim tenetur quis omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo requirit iudex secundum ordinem juris. Falsitatem autem proponere, in nullo casu licet alicui. Id ipsum desumitur ex c. *Qualiter et quando*. 17, et c. *Cum oporteat*. 19, et c. *Inquisitionis*. 21, de *Accusat.*, cum concordantiis; ubi iudex prohibetur procedere ad inquisitionem, et examinationem reorum, nisi juris ordine servato: ergo hoc non observato nullam potest reo obligationem imponere ad